

FRAN
CISCVS

Episcopus

*Servus Servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.*

*Coniuges christiani, virtute
matrimonii sacramenti, quo myste-
rium unitatis et secundi amoris inter
Christum et Ecclesiam significant at-
que participant, se invicem in vita
coniugali ~...~ ad sanctitatem adiu-
vant ~ ~ Lumen gentium 11 ~. Bea-
torum Ludovici et Mariae Aze-
liae vita excellens coniugalis familia-
risque spiritualitatis testimonium*

et exemplar constituit: fidei et precatationis
vita congruenter contexta cum operis tem-
pore, constans Dei voluntati adhaesio, per-
sectorum bonorum inquisitio coniuncta
cum firma rerum visione, magna animi
virtus coram vitae afflictionibus, convic-
tus domesticus una cum flagranti studio
erga pauperes necnon ingenium propriam
prolem in fide educandi. Beatus Ludovi-
cus Iosephus Stanislaus Martin Bur-
digali in Gallia natus est die XXII mensis
Augusti anno MDCCCXXIII, uti filius
publici ministri ortu Normanni. Perac-
tis studiorum curriculis, vita religiosa at-
tractus, anno MDCCCXLIII postulavit
Congregationem Ss. Nicolai et Bernar-
di Montis Iovis ingredi, sed petitio eius
non est accepta. Alençonii aurificis et ho-
rologiarii officinam et tabernam aperuit,
ibique novit et die XIII mensis Julii anno
MDCCCLVIII uxorem duxit Mariam

Azeliam Guérin, quae parvam officinam operum acu denticulatorum dirigebat. Ut uxorem in mercatura iuvaret, anno MDCCCLXX operam suam deseruit. Ex eorum coniugio novem filii nati sunt, quorum tamen quattuor infantes iam obierunt. Quinque filiae viventes vitam Deo consecraverunt: quarum quattuor - nempe Maria Ludovica, Maria Paulina, Maria Caelina et Maria Franciscia Teresia - in monasterium Carmelitarum Lexovii ingressae sunt, una autem, videlicet Maria Leonia, apud Sorores a Visitatione Cadomi intravit. Vita sua pietatis et fidei atque laborioso opere una cum uxore filias educavit. Fuit sodalis actuosus adorationis nocturnae, Conferentiae S. Vincentii a Paulo atque Operis Propagandae Fidei; familiam incitavit ad caritatem, zelum apostolicum et plenam divinae voluntati adhaesionem; ab omni-

bus christianus integerrimus consideratus est. Anno MDCCCLXXVIII, post uxoris mortem, cum filiis Lexovium petivit, ubi in loco ~ Buissonnets ~ appellato moratus est. Educationi filiarum prorsus se dicavit, quas magnanimiter Deo obtulit, singulari contemplativa oratione excellens. Notum est enim quantum passus sit praesertim ob minoris natu filiae Teresiae vocationem, cui tamen sine mora concessit, libenter eius petitionem ut admitteretur ad vitam religiosam sustinens apud Episcopum Baiocensem eamque secum Romam ducens, ubi anno MDCCCLXXXVIII coram Summo Pontifice Leone XIII stetit. Inde Teresia vix quindecim annos nata in Carmelum ingrediendi facultatem accepit. Ipse verum anno MDCCLXXXVIII sinistro in corporis latere paralyti percussus et anno insequenti aliis ictibus, minime cunctatus est Dominae Nostrae Asensonensi sese offerre, felicissimum se ae-

stimans ob dona quibus Dominus eum cum-
mulaverat. At parum post quaedam si-
gna in eo apparere coeperunt infirmitatis
humiliantia et dolorosa. Die XIII mensis Fe-
bruarii anno MDCCCLXXXIX in hospitium
~ Boni Pastoris ~ Cadomi est allatus, ubi,
Deo gratus pro sua passione, laeto animo
apostolatium exercuit, multa bona operans
omnesque aedificans. Relicta quidem il-
la domo mense Maio anni MDCCCXCII,
etiamsi omnino paralysi affectus, postremo
allatus est in Carmelum Lexoviense, ad
filiarum salutationem ~ nos iterum videbi-
mus ~ verbis ~ in caelo ~ respondens, fide ple-
nus, quam virtutem amplius demonstrabat
satis crebris temporibus interioris liberta-
tis plenaeque conscientiae. Die XXIX mensis
Julii anno MDCCCXCIV in arce ~ La Muse ~
in villa ~ Arnières - sur - Iton, prope Ebroi-
cum, quo allatus erat ad aestivum tempus
agendum assistente ei filia ~ Maria ~ Caeli.

na, Deo spiritum reddidit. Maria Aze-
lia Guérin nata est die XXIII mensis De-
cembris anno MDCCCXXI in pago vulgo
dicto Saint-Denis-sur-Sarthon, prope
Aensonium, caput praefecturae Olinae,
in Gallia, ex optimā familia christiana.
Excellenti cum exitu frequentavit scho-
lam Sororum Adorationis Ss. Cordium
Aensonii. Exemplo concitata sororis
Mariae Dositæae, quae sodalis fuit Or-
dinis Visitationis Beatae Mariae Vir-
ginis Cenomani, anhelavit plenam conse-
crationem Domino et se accipi in Societa-
tem Filiarum Caritatis a S. Vincentio a
Paulo postulavit, sed haud est recepta.
Agnosens Dei voluntatem esse ut ma-
trimonium iniret, ab eo petivit se multos
filios parituram esse cunctosque ei conse-
cratum iri. Aensonii, quo anno MDCC-
CLVIII transmigravit ad dirigendam par-
vam officinam operum acu denticulato-

rum, qua arte excellebat, die XIII mensis
Julii anno MDCCCLVIII nupsit Ludovi-
co Martin. Desiderium secundae mater-
nitatis exauditum est, quoniam novem pe-
perit filios. Quorum quattuor ex templo par-
vuli in caelum rapti sunt. Quinque filiae
viventes a matre ipsa firmiter tenereque ef-
formabantur, sicut narravit minor earum
Ceresia suo in opere ~ Historia animae ~,
ubi patefacta est aestimabilis paedagogica
actio huius mulieris, quae altam fidem cum
solida humana rerum visione coniunge-
bat. Hoc prorsus patet etiam de diviti e-
ius familiari litterarum commercio. Epi-
stulae eius ad familiares, qui easdem tam-
quam reliquias custodiebant, validam con-
stituunt fontem ad spirituales eius imagi-
nem rite describendam, ubi matrimonii sa-
cramentum plenam invenit gratiae secundi-
tatem. Divina luce illuminata, totam se di-
cavit Deo et familiae, manifestans veram

fidem, ardentem caritatem fortemque
spem, suavitatem ac firmitatem, divinae
voluntati plene confidens, cum animo fide-
li ac minime sua neglegens officia. Fuit fi-
delis tertiaria franciscana ac sodalis Ar-
chiconfraternitatis Cordis Jesu Agoni-
zantis, omnibus fruens ad plene vivendam
suam coniugalem et maternam ascensum,
per quam, marito iuvante, qui verus fuit
vir Dei, ipsa in familia efficere valuit am-
bitum tranquillum et laetum, plenum Deo
sensuque Ecclesiae. Canceroso tumore af-
fecta anno MDCCCLXXVI, cuius statim
naturam novit et gravitatem, familiares
consolari ac sustinere conata est, praeser-
tim iuvenes filias. Propter eorum amorem
mense Junio anno MDCCCLXXVII una
cum tribus filiabus senioribus Lapurden-
se sanctuarium peregrina petivit, ubi non
sanationem, sed maioris fidei donum re-
cepit atque usque maioris fiduciae in Deum.

Suos inter dolores, aliquando acerbis-
simos, ad Deum confugebat omnibus viri-
bus infinitam eius invocans misericordiam,
cui semper confisa erat. Postquam maxi-
ma pietate accepit sacramenta, de quo fi-
liola Teresia prorsus mirabatur, die XVIII
mensis Augusti anno MDCCCLXXVII sere-
no animo obiit. Forum coniugum sancti-
tatis fama, quae eos in vita et morte comi-
tata est, inde crevit ita ut beatificationis et
canonizationis Causa anno MCMLVII in-
coharetur. Servatis iure servandis, utrius-
que Positio super vita et virtutibus prae-
parata est et Consultorum Theologorum
inquisitioni exhibita, qui in Congressu
Peculiari die XXI mensis Decembris anno
MCMXCIII favorabile votum protulerunt.
Itemque iudicarunt Patres Cardinales
et Episcopi in Sessione Ordinaria die XV
mensis Martii anno MCMXCIV adunati.
Inde die XXVII mensis Martii eiusdem an-

ni Decessor Noster sanctus Joannes
Paulus II Decreta de virtutibus heroum
in modum exercitis promulgavit. Anno
MMIII in archidioecesi Mediolanensi de
quadam putata mira sanatione cuiusdam
infantis Dioecesana Inquisitio incepit.
Rebus iure statutis peractis, Decessor
Noster Benedictus XVI die III mensis Julii
anno MMVIII facultatem dedit Congrega-
tioni de Causis Sanctorum ut Decretum
de miro evulgaret atque statuit beatifica-
tionem utriusque coniugis die XIX mensis
Octobris anno MMVIII Lexovii in Basili-
ca Sanctae Teresiae a Jesu Infante pera-
gendam. Ad canonizationem consequen-
dam, inde Congregationis de Causis Sanc-
torum examini oblata est quaedam mira
habita sanatio infantulae, quae praematu-
re nata est affectaque gravi haemorrhagia
cerebrali plurimis cum implicationibus. Cuius
parentes, infausta medicorum suscepta dia-

gnosi, novendiales preces incohaverunt
ad beatorum Ludovici & Martin et Ma-
riae & Azeliae Guérin intercessionem a-
pud Deum consequendam. Ex templo
coepit celer et continuus processus in me-
lius mutationis, usque dum infantula ple-
ne sanata est. Inquisitio dioecesis perac-
ta est anno MMXIII apud Curiam & Archi-
dioecesanam Valentianam. Peractis sueto
more de iure agendis, Nos ipsi die XVIII
mensis Martii anno MMXV facultatem fe-
cimus Congregationi de Causis Sanctorum
ut Decretum super miro ederet, atque, fa-
ventibus Patribus Cardinalibus, in Consi-
torio die XX mensis Junii eodem anno con-
gregatis, statuimus ut canonizationis ritus
die XVIII mensis Octobris anno MMXV Ro-
mae celebraretur. Hodie igitur in foro an-
te Basilicam Papalem Sancti Petri inter
sacra hanc pronuntiavimus formulam:
Ad honorem Sanctae et Individuae

Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Vincentium Grossi, Mariam ab Im. Conceptione et Ludovicum Martin et M. Azeliam Guerin, coniuges, Sanctos esse decernimus et desinimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quos inde Sanctos coniuges, qui castum, secundum fidelemque amorem iuxta Dei voluntatem vivebant, vitae tribulationes firmo animo ferebant omnesque filias ad sanctimoniam educaverunt,

occurrente Synodo Episcoporum tractante de vocatione et missione familiae in Ecclesia et in mundo huius temporis, cunctis christifidelibus pie invocandos libenter proponimus. Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo quinto decimo, Pontificatus Nostri tertio.



Ep^o Franciscus

Ecclesiae Catholicae Episcopus

Franciscus S. R. E. Card. Arch.